MASTER NEGATIVE NO. 91-80298-10

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

AUTHOR:

JACOBSSON, AXEL JUSTUS

TITLE:

IN NECYIAM VIRGILIANAM STUDIA ...

PLACE:

UPSALIAE

DATE:

1895

Master Negative #

91-80298-10

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Jacobsson, Axel Justus,
In Necyiam Virgilianam studia nonnulla; commentatio academica quam scripsit... Axel Justus Jacobsson... Upsaliae, Typis descripserunt Almqvist & Wiksell, 1895.
48 p. 23½ cm.

Thesis, Upsala, 1895.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 10-30-91 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT




AIIM


Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202














MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.



IN NECYIAM VIRGILIANAM
STUDIA NONNULLA

COMMENTATIO ACADEMICA

QUAM SCRIPSIT ET

PERMISSU AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHORUM

UPSALIENSIUM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

IN PUBLICO DEFENDET

AXEL JUSTUS JACOBSSON
LIC. PHIL. NAT. VERML.
IN GYMNASIO NORRMALMENSI LECTOR VICARIUS

IN AUDITORIO IV A. D. X KAL. MART.

H. A. M. S.

UPSALIÆ
TYPIS DESCRIPSERUNT ALMQVIST & WIKSELL
MDCCCXCV

Præmittenda.

Quamquam difficile sane est mihi quidem de Virgilio aliquid proferre, quod novum sit atque auribus doctorum virorum dignum, quoniam tot tamque docti viri de eo scripserunt et opera ejus ita tractaverunt, ut desperandum mihi fuisse videatur, fore, ut non profunderetur mea in hac re opera, juvat tamen periculum facere, si possit aliquid, quod ad carmina ejus recte interpretanda pertineat, ex his, quas nobis in animo est instituere, quæstiunculis redundare. Nam habent id proprium magni poetæ magnique scriptores, ut, quacumque ex parte in opera eorum inquiras, eo magis, ut ita dicam, nova et excelsa videantur ingenia eorum. Virgilius vero tam egregius est poeta, ut inter maximos referri debeat, quæ res vel ex eo cernitur, quod non solum ab æqualibus suis poetarum, qui tunc vocabantur, novorum princeps est appellatus optimisque suæ ætatis hominibus mire placuit, sed etiam omnium deinceps seculorum hominibus admirationi fuit, quo factum est, ut jure dici possit, eum in literarum historia inter principes poeseos referendum esse.

Nunc, quoniam nobis proposuimus, ut particulam tantum Aeneidis tractaremus, Necyam dico, quæ vocatur, sive

sextum librum, non necesse erit copiose disserere de ingenio nostri poetæ atque indole, sed, quia constat in Virgilio poeta æstimando æstimantium variare judicia plus fortasse quam in ullo alio poeta Romano, paucis verbis, antequam ad rem propositam transeam, quid mihi de hac re videatur, ostendam. Nam ita credo fore, ut facilius perspiciatur, quid de hac Necyia judicem, si prius breviter exposuero, quid de toto opere judicandum videatur.

Nemo, qui poema aliquod tractandum atque interpretandum sibi sumpserit, facile negaverit necesse esse diligenter inquirere in multas res: quis fuerit poeta, quando scripserit, quid spectaverit. Ea res semper utilis erit plerumque necessaria. Nam etsi esse possunt quædam carminum argumenta et genus quoddam carminum, quod et legi possit cum voluptate et intelligi satis bene sine illa accurata personarum, temporum, rerum notitia, Romanorum tamen poetæ, ut qui, etiamsi ingenio valuerunt, tamen plus valuisse putandi sint arte, permulta habent, quæ tam arcte cohærent cum eorum, qui tum vivebant, hominum vita, moribus, institutis, ut, quid sibi velint, non possimus intelligere sine diligentissima pertractatione multarum rerum, quæ a nostræ vitæ consuetudine abhorrent.

De Virgilio quidem hoc loco necessarium non est referre ea, quæ in literarum Romanarum historiis leguntur de vitæ ejus condicione ac fortuna, sed alienum tamen non est admonere de iis rebus, quæ ad ingenium ejus effingendum efficaces fuisse existimandæ sunt. Omitto, quod regionis Mantuanæ natura, ubi natus educatusque est, jam pueri tenerum ingenium quodammodo finxit eique molle illud atque facetum adtribuit. Sed tempora, in quæ prima ejus ætas inciderat, multo plus adtulisse ad mores ejus formandos, putandum est. Erat vero eorum temporum condi-

cio admodum luctuosa: civilia bella, Sullana dominatio, paucorum illa dominatio Italiæ gravissima, conjuratio Catilinaria, alia ejusmodi mala aut premebant aut, quamquam partim præterita, sentiebantur, quia causæ malorum illorum nondum remotæ erant. Italiæ provinciarumque status is erat, ut certus stabilisque rerum ordo ubique desideraretur.

Num Romani ex religione rituumque observatione solatium capere potuerint, non audeo in quæstionem vocare; id vero facile est intellectu, eos tum arripuisse, ut ita dicam, philosophiæ solatia, quæ res vel ex eo cernitur, quod, qui tum erant philosophi, non tam in ea philosophiæ parte, quæ in vero quærendo disserendique subtilitate versatur, quam in ea, quæ est de vita ac moribus, elaborare voluerunt. Prætereo Ciceronem, qui tot libris locos, qui in philosophia patent latissime, illustravit. Sed ut breviter ostendam, quam contradictorie, ut ita dicam, oppositæ fuerint quorundam de immortalitate animi opiniones, admoneo de laudatis illis sententiis, quas Sallustius in senatu de condemnandis Catilinariis dictas esse refert a Cæsare et Catone.

Ut vero ad poetas perveniamus eorumque de eadem re citemus testimonia, Lucretius, paucis annis quam Virgilius major natu, aut omnino deos esse aut certe humana curare negat. Affero hoc loco Lucretium solum, non quod credam opus ejus, cui titulus est *de rerum natura,* tam rebus, quas continet, quam scribendi sublimitate atque arte ejus ætatis Romanis placuisse, sed quia is poeta, si eum cum Virgilio compares, huic plane contrarius ac dissimilis videtur. Nam Virgilius, qui religiosissimi poetæ appellationem meruit, nusquam non deos esse rebusque humanis interesse docet, religiones deorumque cultum commendat.

Ita mirum sane est, quod tam parvo interjecto temporis spatio duo maxima poetarum ingenia diversissima ex-

stiterunt iis potissimum temporibus, quum vetus rei publicæ disciplina jam diu labefactata quam maxime laborabat ordiente velut fatali necessitate novo rerum ordine. Sed ut hanc rem paucis verbis expediamus, diversitas, quæ inter Lucretium Virgiliumque intercedit, ita fortasse explicari potest, si, novis nominibus usi, Lucretianam poesin pessimismum præ se ferre, Virgilianam vero optimismum, dixerimus.

Virgilius enim non solum luctuosa patriæ tempora viderat et ipse, quum magna pars soli Italiæ, pulsis veteribus possessoribus, a veteranis occuparetur, bona sua amiserat, — quæ tamen mox recepit per potentium amicorum gratiam benignitatemqne Octaviani Cæsaris, — sed etiam ea tempora vidit, ubi pace reddita respublica velut renata videbatur.

Ex qua re Virgilius, ut erat vere amans patriæ, eo majore gaudio affectus esse putandus est, quo magis ante miserabili rerum statu doluerat. Itaque non est, cur dubitandum videatur, quin re vera senserit poeta ea, quæ in Eclogis in Augusti honorem scripsit. Nam multa pars earum in laudibus ejus celebrandis versatur, perhibeturque illius ætas redeuntis aurei seculi initium.

Quum vero Atellis, quo cum Mæcenate profectus erat, Augusto ad triumphum Actiacum celebrandum revertenti Georgica per aliquot dies prælegeret, non solum ob accepta beneficia eum coluit, sed etiam quia patriam servaverat pacemque restituerat. Versatur hoc Georgicorum opus in honestissimo Romanorum quæstu celebrando continetque multa, quæ eo pertinere videntur, ut Romani quodammodo cognoscant semetipsos et velut ex longo somno excutiantur. Jam tum natum esse poetæ consilium Augusti res gestas epico carmine celebrandi, ostendit tertii libri initium.

Num Aeneis id opus demonstratum sive promissum

sit, incertum est; id vero certum, Aeneidem longe maximum opus Virgilii esse. Argumentum Aeneidis præ se fert titulum celebrandi Aenean versaturque poeta in eo ita, ut, dum errores Aeneadarum describit, primas populi Romani origines consecrat refertque ad deos auctores, Augusti imperium justum, legitimum, debitum esse contendat.

Hæc tamen non ita dicta volo, ut videar Aeneidis argumentum duplex esse contendere. Credo enim fieri non potuisse, quin Virgilius, ut vulgo antiqui populi, Romanus non minus quam Græcus, de historia judicabant, omittere posset, si quidem voluit carmen epicum Romanorum proprium condere Aeneidem, Aeneadarum fata ita enarrare, ut iis quodammodo opponerentur Romanorum, qui tunc erant, fata. Nam quemadmodum antiquorum Græcorum epos magna ex parte historia est, et historia eorum multa habet cum poesi communia, præsertim in eo, quod historici eorum mirabilem quendam causarum connexum agnoverunt orbesque quosdam in rebus esse opinati sunt, ita et Romanorum epos se habere credo, quamquam Homericis carminibus et origine et indole dispar est.

Quæ Græcorum de historia æstimatio fuerit, ostendit vir doctissimus E. Curtius [1].

Atqui constat Græcorum historicorum artem Romanorum quoque historiæ condendæ affuisse, præsertim in primis de origine gentis, de regibus, aliis narrationibus. Ergo Virgilius nihil aliud quam cum omnium opinione consensit, quum in Aeneide sua componenda ita versatus est, ut Augustum quasi in medio poneret.

Spectat tamen Aeneis ad eum finem, ut Romanis tamquam ob oculos ponatur ea condicio, ad quam nati atque

[1] Alterthum und Gegenwart. I. XVI. "Der historische Sinn der Griechen."

generati videantur. Est autem ea condicio, ut terrarum domini sint. Civilia bella discordiæque fecerant, ut viderentur paulisper obliti esse hujus destinationis. Itaque Augustus, quum consopivisset civilia bella Janumque clausisset, quæ res paucis indicium esset, velut divinitus missus visus est ad imperii generisque humani salutem, mirumque sibi conciliavit favorem, qui quantus re vera fuerit, documento sunt civitatium nonnullarum in eum decreta honorifica et poetarum carmina.

Quamobrem Virgilius, ut omnes fere ejus ætatis poetæ, in laudibus Augusti immoratur. Spectat tamen Aeneis etiam ad eam finem, ut populus Romanus extollatur laudibus et admoneatur, quemadmodum ortus sit et ad quam præclaras in posterum res gerendas sit destinatus, quomodo creverit et sub Augusto mille annorum a Jove patefacta fata conpleverit. Volebat enim Virgilius vere Romanum Romanis condere epicum carmen, quod velut sub uno conspectu præterita, præsentia, futura proponeret. Quod quum assequi vellet, fieri non potuit, quin heroicæ illius ætatis descriptionibus admisceret ea, quæ hominibus, qui tum maxime vivebant, placuerunt. Ita fit, ut, dum de diis, religione, republica more summorum philosophorum disserit, nativa illa in eo desideretur inimitabilisque simplicitas Homeri. Ex qua re factum est, ut aliis doctis aliter videretur de Aeneidis consilio ac fine constituendo. Sed eos, quum longum sit omnes enumerare, omittimus persequi.

Si igitur ea ratione ductus Aeneida scripsit poeta, ut populi Romani origines, res gestas, condicionem, ad quam nati essent Romani. celebraret et velut in unius corporis formam redigeret, ingeniose sane judicandus est elegisse argumentum, quum Aeneadarum fata ad canendum sibi proponeret. Nam ut nihil ferme magis proprium esse

solet cujusvis populi vel gentis, quam id, *quod*, ut Livii verbis utar, *omnium primum constat*, primas dico de origine gentis rebusque gestis fabulas, ita nihil minus impedit epicum poetam, quominus qua velit libertate vagetur opusque suum grata rerum varietate exornet.

Nam præterquam quod nullum argumentum cogitari potest aptius quam illæ fabulæ, præsertim quum jam inde a primorum apud Romanos poetarum temporibus placuisse videantur — constat enim Ennium, Nævium, alios ex iis velut ex quodam fonte hausisse carminum argumenta — etiam ea accessit commoditas, quod poeta ita ad Homerica carmina opus suum velut adnectere potuit exordiumque a bello Trojano capere.

Sed timeo, ne hæc, dum rem breviter comprehendere volo, facta sint longiora. Necesse tamen putabam antequam ad partem Aeneidis transirem, constituere, quid de totius Aeneidis argumento ac consilio videretur judicandum esse, præsertim quum nulla fortasse operis pars apertius ostenderet, ad quem finem poeta spectavisset. Nunc vero, constituto quodammodo nostro judicio, ostendere conabimur, apte Necyiam Virgilii, ad quam nunc transibimus, cum totius Aeneidis argumento cohærere, et artificiose inter se connexas esse Necyiæ partes.

De Necyia Virgiliana.

Virgilius, quod ejusmodi argumentum sumpserat, ut ab epico carmine Homeri ordiretur, facere non potuit, quin in quadam similitudine rerum etiam in carmine deducendo compositionis artem Homeri sequeretur, quæ res eo minus omitti potuit, quod omne poema heroicum quam proxime

ad similitudinem Iliadis Odysseæque accedere debere videbatur.

Sed ire ad mortuorum umbras vivum sospitemque inde redire apud antiquos epici herois esse videbatur et virtutis, qua nulla cogitari potest major, indicium.

Si igitur ea res, quod Aeneis ad similitudinem Homericorum carminum instituenda erat, quadam ex parte adtulisse videtur causam, cur etiam ei insereretur Necyia, necesse tamen non erat Virgilio eam eodem, quo instituta erat libro undecimo Odysseæ, consilio instituere aut in singulis descriptionis partibus Homerum sequi.

Nam si in Aeneide populus Romanus quodammodo videri potest epici herois personam sustinere, recte poeta, quum Aeneam ad Inferos descendentem fecit, ejus itineris labores eum ferentem induxit ob ea, quæ ad populi Romani fata pertinerent. Apud Homerum Ulixes ad Inferos descendit, ut a Theiresia vate quærat, quonam modo domum venturus sit; Aeneæ vero non opus est ob talem causam descendere, quoniam Sibylla Cumæa de iis, quæ scire sua interesse putat, certa responsa dare potest.

Neque vero difficile est multas affere causas, cur ipsa descriptio earum rerum, quæ apud Inferos esse fierique fingebantur, descriptioni Homericæ multis locis non dissimilis esse non possit. Nam poetæ, siquidem ad sensum et opiniones suorum civium apte de his rebus scribere voluit, mutanda erant omnia, quæ ex heroicæ illius ætatis theologumenis ipsa vetustate, ut ita dicam, abolita erant. Id suo jure eo magis fecisse putandus est, quod inter doctos jam diu constat, etiam Necyiam Homericam insiticios habere locos interpolatamque esse eo consilio, ut eæ res, quæ traderentur, magis convenirent ad opiniones eorum, qui multo post vivebant excultique magis erant doctrina. Nam heroicæ ætatis homines, siquidem eorum de hac re placitorum summa continetur undecimo Odysseæ libro, videntur eam habuisse persuasionem, omnium mortuorum animas sine discrimine, boni an mali fuissent in vita, eodem loco versari æque miserabili fortuna. Sed ut breviter comprehendam, dico mirandum non esse, si multa apud Virgilium in Infernorum descriptione nova videntur et dissimilia iis, quæ legimus apud Homerum, quoniam in ipsa Necyia Homeri invenimus interpolationes factas eo consilio, ut narratio ad communem posterioris ætatis hominum sensum accommodaretur.

Ex iis, quæ Plutarcus [1] ex scriptis Aristotelis refert, et ex iis, quæ apud Platonem leguntur [2] colligi potest, apud Græcos quidem persuasionem eam, mortuorum conditionem apud Inferos duplicem esse, omni philosophia omnique poesi fuisse priorem.

Quia Ulixes ab Homero inductus erat ad Inferos descendens, postulabatur, ut omnis epicus heros, qui quidem supra concessum ceteris mortalibus modum fortis videretur, hoc tam periculosi itineris laborem subiens describeretur. Ergo Virgilius omittere non potuit, quin, si Aenean divino genere et destinata immortalitate dignum describere vellet, eum ad Inferos euntem redeuntemque faceret.

Sed longe alio consilio instituta est Virgiliana Necyia quam Homerica, quæ inserta est narrationi ad varietatem magis rerum augendam quam ad proponenda ea, quæ ad totius operis finem quam proxime pertinerent. Virgilius contra, quum undecimum Odysseæ librum imitatus est, id potissimum spectavit, ut ita diceret ea, quæ de rebus omnium gravissimis dicenda putabat. Ex qua re factum est, ut in magna similitudine, quæ inter hos libros intercedit,

[1] Consol. ad Apoll. cap. 27.
[2] Apologia Socratis 32 p. 40 C.

etiam magna cernatur dissimilitudo. Nobis tamen non propositum est, quid apud utrumque poetam sit simile, quid dissimile, afferre. Itaque paucas admodum similitudines afferemus monstratas potius quam expositas.

Ut igitur Aeneas ad Sibyllam venit, ut discat futura et ab ea deducatur per Inferna, ita Ulixes Thiresiam vatem quærit, ut audiat, quid sit faciendum. Simplicius ergo Homerus rem proposuit. Ut Aeneas patrem convenit, colloquitur cum Palinuro de sepultura, videt bello claros, heroinas, sceleratorum poenas audit, Elissam alloquitur iratam, Idæum cum curru armisque conspicit, perfecto itinere redit ad socios; ita Ulixes matri occurrit insepultoque Elpenori, commilitones videt, heroinas, sceleratorum poenas, iratum Ajacem alloquitur, Herculum vidit cum arcu, omnibus conspectis, quæ vult, redit ad naves exspectantesque socios.

Sed haud scio, an dissimilitudines sint majores. De quibus tamen, quoniam hoc loco necessarium non est, nihil addam.

Sed nunc omissa omni quæstione, quid simile sit, quid dissimile, nunc ad ipsam Virgilii Necyiam tractandam transibimus, in quo opere ita versari nobis in animo est, ut, postquam paucis verbis disseruerimus de iis, quæ ipsam Infernorum earumque rerum, quæ ibi fieri finguntur, descriptionem quodammodo præparant, proferre conemur, primum ea, quæ ad Orci descriptionem, deinde quæ ad Tartarorum, post ea quæ ad Elysii, pertineant. Tum ad extremum totius disputationis quasi summam subducere conabimur.

Disputantur nonnulla de iis, quibus quasi præparatur ad Inferos descensus.

Aen. VI. v. 98—235.

In ipso igitur loco, ubi Aeneam descendentem facit, constituendo, poeta secutus est opinionem eorum, qui Ulixem quoque in eadem regione Cumana ad umbras mortuorum measse indeque remeasse putaverunt. Nam fuisse, qui Cimmerios, ad quorum fines Ulixes venisse fertur, sedes ad lacum Avernum habuisse crederent, narrat Strabo (lib. V. 244) Ephorumque laudat auctorem. Iisdem locis jam inde ab antiquissimis temporibus floruisse Necromantiam constat. Quod vero Aeneas Sibyllam convenit et ab ea deducitur per Inferna, eo aptius est, quod narrat Dionysius Halicarnassensis, Aenean ad Sibyllam Gergithiam venisse eamque consuluisse. Quæ Sibylla utrum eadem sit putanda ac Cumæa, an alia, parvi momenti est, quum apertum sit ea, quæ de una aliqua Sibylla tradita erant, facile ad aliam transferri potuisse. Nam habet id proprium Virgilius, ut, quidquid narrat, quam proxime ad mores et opiniones Romanorum proponat. Quid enim potuit esse aptius quam Cumæam Sibyllam hoc loco proferre, quæ de Romano potissimum imperio vaticinata diceretur?

Sed etsi plerumque sequitur Virgilius ea, quæ, memoriæ tradita, a Romanis pro veris habebantur, est tamen interdum, ubi videatur secutus esse argumenta petita ex fabulis, quæ, quantum conjici licet, ceteris Romanorum poetis ac scriptoribus incognitæ fuisse putandæ sint.

Ita in sexti libri versibus 136—148 et 201—211 fit mentio aurei rami, quem ut donum ferat Proserpinæ Aeneas, Sibylla præscribit. Fieri potuisse concedatur, ut poeta

fingeret hoc totum, sed incredibile non est, eum mythum aliquem aliunde petitum adhibuisse. Antiqui certe hoc loco Virgilium vituperavisse videntur, quod figmentum adhibuisset, quod omnino exemplo careret [1]. Macrobius Sat. V. 19 eum poetico more finxisse scribit.

Sed de ramo portas Ditis aperiente fabulas apud quosdam populos antiquitatis fuisse constat. Omittimus, quod in Persis Aeschylea aliquod simile versu 615 occurrit, omittimus, quod Saxo Grammaticus regem Haddingum loca vivum, "quæ mortuo petenda fuerant", visentem herbarum fasciculum portasse narrat.

Ea res, quod poeta ipse versu 205 ramum aureum cum visco comparat, fortasse probare possit, mythum aliquem usurpatum esse alicujus populorum eorum, quibus viscus sacer erat. Keckium, doctissimum illum virum, video [2] suspicatum esse, Virgilium hanc rem apud aliquem Græcum inventam perperam intellexisse et ita factum esse, ut hic locus videretur obscurior. Eam disputationem alius doctus vir, E. Norden, qui in Virgilianis quæstionibus ingeniosissime versatur [3], quamquam admiratur acumen Keckii, sibi tamen non satis placere ostendit. Ita enim hanc expediri conatur quæstionem, nihil obstare, quin aliquam de mira vi visci narrationem Virgilio fuisse cognitam putemus. Si res se ita habeat, dici possit, diversa elementa mythorum contaminata quodammodo esse. Unde hæc nova sumpta sint, suspicari licet, si consideramus viscum Celtarum lingua *pren puraver*, id est *puri auri arborem* vocari [4]. Præterea constat sæpe in Germanorum populorum mythicis carminibus de visco mentionem fieri [5].

[1] Georgii, Aeneiskritik p. 281.
[2] Jahrbücher f. Philol. u. Pædag. 1878. p. 792.
[3] Virgilstudien, Hermes 1893.
[4] Schwartz, Indogerm. Volksglaube p. 75.
[5] Müllenhoff, Deutsche Altertumskunde V. 1. Abt. p. 57.

Quæ cum ita sit, huic herbæ parasiticæ jam antiquissimis temporibus miram quandam inesse vim creditum esse constat.

Si Virgilius Varronem, cujus de antiquitatis humanarum divinarumque rerum libris usum esse constat, in hac quoque re secutus esset, non credo Macrobium scripturum fuisse poetico more affictum esse hunc de aureo ramo locum. Nam credibile est ac prope certum, facile tum demonstrari potuisse, quibus in rebus poeta Varronem secutus esset, quibus non.

At occurrit in antiqua poesi Islandica mythicum carmen, quod de Svipdagero est, re vera ex duobus diversis, sed tamen ad unum idemque argumentum pertinentibus poematis compositum [1]. Hoc carmen in perantiquo argumento et multis populis communi versari docuerunt duo, quos debita reverentia nomino, Grundtvig et Bugge. Nuper doctus vir, Hj. Falk [2], dum quæ sint elementa, ut ita dicam, ejusdem carminis ostendere vult, quædam ad Celtarum narrationes mythicas referenda esse docet. Atqui habet hoc de Svipdagero carmen Islandicum hæc cum Virgiliano loco de aureo ramo similia.

Ut Aeneas Proserpinæ aureum ramum ferre jubetur, ita Svipdagerus Sinmaræ (id est Proserpinæ) bracteam (Aen. v. 1. 209 — — sic leni crepitabat bractea vento). Nam verba illa "ljosan lja", quæ in carmine Svipdagsmál [3] leguntur, ad locum Virgilianum apte referri possunt, siquidem Bugge verbum illud "lja" sic interpretatur "flad, tynd, blank gjenstand af metal" id est bracteam. At hæc bractea inter ramos latet arboris, quæ Mima-meidr vocatur [4], sicut apud

[1] G. Vigfusson, Corpus poeticum boreale 1 p. 93 sequ.
[2] Svipdagsmál, Archiv f. Nord. Filologi B. 9.
[3] Vigfusson, C. p. b. 1. pag. 98, stroph. 46.
[4] Vigfusson, C. p. b. ejusdem carminis stroph. 36.

Virgilium aureus ramus (v. 135—136) latere dicitur arbore opaca. Sed hæc arbor Mima-meidr eadem ac Septentrionalium populorum Ygdrasil putanda est [1].

Quæ arbor, Ygdrasil scilicet, in poesi Islandica heidvanr dicitur, id est serenitatis expers, sicut a Virgilio opaca vocatur ea, unde carpit Aeneas ramum.

Videmus ergo hoc loco similitudines quasdam deprehendi inter hunc de aureo ramo locum Virgilianum et locos quosdam carminis Islandici, quod est de Svipdagero ad mortuorum loca descendente.

Utrum hi Islandici carminis loci similes debeantur Virgilianæ descriptioni, quam tractamus, an utraque descriptio ex eodem quasi fonte derivata sit, expediant ii, quorum in talibus rebus major doctrina est majorque intelligentia.

Victor Rydberg quidem, qui in opere suo, quod "Undersökningar i Germansk Mythologi" inscribitur, mira doctrina ac sagacitate versatur in hujusmodi quæstionibus enodandis, ejus sententiæ est, hunc de Svipdagero mythum in communes illos multis populis mythos referri debere et priorem esse Ariorum, qui vocantur, in plura quasi membra divisione. Quæ res si se ita habeat, suspicari licet, ea, quæ similia videntur esse, in utroque carmine, in Virgiliano scilicet et in eo, quod est de Svipdagero, eadem originem habere posse. Si etiam aliis locis inveniri possint, quæ hanc suspicionem quodammodo augere videantur, rem uberius tractabimus.

Novum esse in epica poesi antiquorum [2] hoc aurei rami

[1] Bugge, Studien über die Entstehung der nordischen Götter- und Heldensagen pag. 525.

[2] Ovidius tamen, Metam. XIV. v. 114, "fulgentem ramum" habet, sed sine dubio Virgilium sequitur.

aditum ad sedes Infernorum aperientis argumentum, ea res est documento, quod ii scriptores, qui in carminibus Virgilii illustrandis elaboraverunt, unde hoc desumptum esset argumentum, videntur invenire non potuisse. Nam verisimile est, eas Necyias, quas Virgilius adhibere poterat, etiam adhiberi potuisse ab antiquis grammaticis et commentatoribus carminum Virgilianorum.

Fuerunt, qui crederent, in Necyiis, quas constat de Herculis et Thesei hujusmodi laboribus scriptas esse, eos inductos fuisse ramum aureum gestantes. Quæ tamen opinio refellitur ea re, quod Charon (v. 410) statim Aenean, postquam vidit ramum, cymba recipit, admirans donum longo post tempore visum. Atqui versibus 392—393 idem dicit non libenter hos excepisse. Credibile igitur est, eos, id quod Heynius vidit, non cum aureo ramo inductos fuisse, si quidem navicularii senis verba sibi constabunt.

Sed quoniam verba illa: "longo post tempore visum", postularent, ut ad aliquod ejusmodi carmen vetustius referretur id argumentum, doctis viris placuit hanc proponere sententiam, Virgilium ob oculos Orpheum habuisse.

Sed si de Orpheo aliquod epicum carmen in hoc de aureo ramo loco adhibitum sit a poeta, mirum sane videatur, eam rem fugisse diligentiam eorum, qui omnia, quæ ad libros ejus illustrandos pertinere viderentur, tanto studio sunt consectati.

Inventæ sunt in sepulcris in Italiæ parte inferiore, ubi per Pythagoreos Orphica mysteria late manasse constat, aureæ tabellæ Græcis versibus inscriptæ. Continent eæ tabellæ ea, quæ mortui, postquam ad Proserpinam venerint, pro se dicturi sunt. Insunt his versibus non preces aut supplicationes, sed multam præ se ferunt fiduciam, fore, ut recipiantur ii, qui eas portant, plenaque fruantur felici-

tate [1]. Vir, scientia antiquitatis, quæ ad veterum artis monumenta spectat, excellentissimus, E. KUHNERT [2] affert nonnulla, quæ ad illam rem illustrandam pertinent.

Suboritur hoc loco quæstio, num ad hunc morem sepultis auream tabellam ejus modi dandi referri possit locus de aureo ramo Virgilianus. Sed quia non nisi mysteriis initiati cum tabellis istis aureis sepulti videntur esse neque constat Virgilium ea mysteria cognita habuisse neque, si cognovisset, credibile est, eum enuntiaturum fuisse, non audeo affirmare inventas has tabellas cum bractea, de qua sæpius dictum est, comparari posse, præsertim quum verisimile sit, rem, si res se ita habeat, non potuisse occultam manere.

Nunc satis habemus admonuisse in carmine de Svipdagero et in narratione mythica Saxonis de Haddingo rege, quarum utraque, ut inter doctos constare video, ad Celtarum et Germanorum antiquissimos mythos referri potest, quædam similia inveniri iis, quibus Infernorum descriptio a Virgilio præparatur.

De descriptione Infernorum locorum rerumque, quæ ibi fieri finguntur, Virgiliana.

In tres partes divisa est Infernorum locorum descriptio a poeta, quarum una in Vestibulo sive aditu Orci describendo versatur, altera in Tartaris, ubi puniuntur mali, tertia vero in Elysio, ubi beati discretas sedes habent. Poteram, fortasse debueram, etiam de lugentibus campis separatim dicere, qui locus significatur somnio, quod describitur V. 734. Sed quum mihi videar nihilo minus ostendere posse, quam ob rem comparatus sit ille locus, tripertitam hanc retineo descriptionem Infernorum.

[1] ALB. DIETERICH, De hymnis Orphicis capita V.

[2] Unteritalische Necyien. Jahrb. des. Kais. Deutsch. Archäol. Instit. 1893. p. 104.

Vestibulum admodum copiose describitur, Tartarorum descriptio parcior est et magis generatim facta, de Elysio vero ita accurate scriptum est, ut facile appareat, eam partem præ ceteris exornatam voluisse Virgilium.

Nemo negat multam artem adhibitam esse a poeta in hac operis parte disponenda, sed tamen multis visa est res minus feliciter processisse, si quis diligenter in eam inquirere velit, poetamque sibi ipsum constare non potuisse contenderunt. Sed verendum est, ne ii, qui hæc objiciunt Virgilio, ad opus ejus judicandum venerint præcepta jam, qualis Necyia esse deberet, opinione. Qui ab iisdem quasi principiis, a quibus ipse profectus est poeta, proficiscentur, nihil omnino, nisi fortasse in rebus nullius momenti, quod contrarium sit sibique repugnet, in hac re invenient. Nam Virgilius, quamquam ab Homero mutuatus est multa, libertatem tamen sibi vindicavit neque iisdem finibus circumscripsit jus suum libere vagandi qua vellet.

Quibus vero a principiis profectus esse putandus sit, suo loco dicetur. Nunc ad Vestibuli descriptionem transibimus.

Vestibulum Orci describitur.

v. 273—289.

Si nunc, quale descriptum sit vestibulum, considerabimus, statim apparebit in ea descriptione multam artem adhibitam esse. Quæ res quo magis appareat, ponamus ante oculos hos versus:

Vestibulum ante ipsum primis in faucibus Orci
Luctus et ultrices posuere cubilia Curæ
pallentes habitant Morbi tristisque Senectus
et Metus et malesuada Fames ac turpis Egestas
terribiles visu formæ, Letumque Labosque
tum consanguineus Leti Sopor et mala mentis
Gaudia; mortiferumque adverso in limine Bellum
ferreique Evmenidum thalami et Discordia demens
vipereum crinem vittis innexa cruentis.

In quæstionem non vocamus, quam artificiose collata sint inter se membra, quod constat in ea re Virgilium omnibus fere locis summa usum esse diligentia.

Id tantum admonendum videtur, hæc mala divisa esse ita, ut Luctus, ultrices Curæ, pallentes Morbi, tristus Senectus, Metus, malesuada Fames ac turpis Egestas, Letum, Labos, Sopor, mala mentis Gaudia, ut quæ sensim magis homines ad mortem adducant, ante vestibulum esse locata dicantur, Bellum vero, Evmenides, Discordia in ipso limine, quoniam non sensim singulos sed raptim et multos simul Orco mittunt. Inter hæc vehementiora mala Bellum primum ponitur, quia, ut ait Servius, nulla major est cædis causa. Nam bello atque armis civitatium populorumque controversiæ dirimuntur. Discordia autem significat singulorum inter ipsos controversias ac lites, ex quibus interdum magnæ nascuntur calamitates. Cur Evmenides aptæ visæ sint, quæ mediæ ponerentur inter vehementissima illa duo mala, afferunt rationem hæc verba, quibus poeta alio loco Junonem Allecto alloquentem facit:

VII. *Tu potes unanimos armare in proelia fratres*
atque odiis versare domos, tu verbera tectis

funereasque inferre faces, tibi nomina mille,
mille nocendi artes.

Sed si respicimus, quo tempore et quo consilio scripserit Virgilius, qualis fuerit paulo ante status rei publicæ et civium communis condicio, vix est, cur dubitetur, quin Bellum non tam generatim hoc loco positum sit quam civile bellum significet. Discordia videtur graves illas, quas vocat Horatius, principum amicitias significare. Evmenides quoque dixeris tum nuper ministerio suo functas esse in terris, siquidem Augustus passus est ultor Cæsaris vocari templumque, quod Marti Ultori ædificandum postea curavit, his verbis inscribi jussit: Pro ultione paterna.

Si umquam fuit, quum Luctus, Curæ, Fames, Egestas, cetera mala a Romanis gravia sentirentur, profecto fuit tum, quum prope continua bella civilia erant, proscriptiones, bonorum amissiones crebræ, adeo ut desperatio omnium animos invasisse videretur. Qui sibi hæc omnia tamquam ante oculos ponere vult, Mommsenii legat Historiam Romanam eorum temporum.

Itaque poeta, quod in Orci descriptione hæc mala adhibuit, ita adfecit animos eorum, qui hæc legebant audiebantve, ut funestorum istorum temporum memoriam aversarentur et præsenti statu rerum gauderent æternumque esse optarent.

Sed omissa hac quæstione redeamus ad rem.

VI. *Multaque præterea variarum monstra ferarum,*
Centauri in foribus stabulant, Scyllæque biformes
et Centumgeminus Briareus, ac bellua Lernæ
horrendum stridens flammisque armata Chimæra
Gorgones Harpyiæque et forma tricorporis umbræ.

Quæ monstra disposita sunt hoc fere modo:

Centauri
Scyllæ biformes } et Briareus

ac

Bellua Lernæ
Chimæra
Gorgones
Harpyiæ } et Geryon

Briareus igitur et Geryon quasi custodes his monstris appositi sunt, quam dispositionis rationem usus particularum, quæ sunt et, ac, et, commendat.

Si totam Vestibuli descriptionem consideramus et eas formas, quibus poeta hunc Infernorum locum finxit destinctum et ad dignitatem apte ornatum, ad rerum artificiose collocandarum rationem revocamus, apparet, in distributione adhibitam esse antitheticam quandam membrorum divisionem.

Sed restat, ut paucis verbis expediamus hunc locum:

VI. *In medio ramos annosaque brachia pandit*
Ulmus opaca ingens . . .

Ut jam ante conati sumus ostendere ea, quæ in Virgiliano de aureo ramo loco similia videntur iis, quæ sunt in narrationibus quibusdam, quas inter Celtarum Germanorumque antiquissimas narrationes mythicas referendas esse constat, ita etiam hoc loco unam rem proferre volumus, quæ fortasse documento esse possit, Virgilium re vera cognitam habuisse fabulam aliquam de universali, ut ita dicam, arbore illa, quæ in antiquissima Islandicorum poesi vocatur Ygdrasil.

Victor Rydberg certe, quum in opero suo de Ger-

manorum mythis hanc rem tractat[1], non dubitat ita scribere, videri sibi Virgilium aliquam de tali arbore universali cognitam habuisse narrationem.

Rogatus a me per amicum, vir ille doctissimus, qua est humanitate ac benevolentia, per litteras respondit, se, quum loco, quem supra laudavimus, sententiam suam proponeret, unum maxime ob oculos habuisse hunc locum:

Georg. II. vv. 290:

Altius et penitus terræ defigitur arbos,
Aesculus in primis: quæ quantum vertice ad auras
aetereas, tantum radice in Tartara tendit.
Ergo non hiemes illam, non flabra neque imbres
convellunt: immota manet; multosque nepotes
multa virum volvens durando secula vincit.
Tam fortes late ramos et brachia tendens
Huc illuc, media ipsa ingentem sustinet umbram.

Nomina, quæ sunt æsculus, anglosachsice äsc. islandice askr, germanice Esche inter se cognata esse, nemo non videt, sed ideo non necesse est his nominibus semper unam eandemque arborem significari. Nam sicut φηγός apud antiquissimos poetas Græcorum quercum significat, sed lingua latina eandem arborem, quam Germani Buche appellant, nos bok, ita apud diversos Ariorum populos nomina, quæ sunt æsculus et askr, verisimile est diversis temporibus diversa arborum genera significasse. Sed si reputamus, Hesiodum tertii ævi homines natos esse ἐκ μελιᾶν scribere[2], sicut septemtrionalium mythi habent de primis hominibus, Askr et

[1] Undersökn. i Germ. Mythol. II. p. 70.

[2] Labores et Dies 144 ed. Flach.

Embla ut vocantur [1], videtur esse, cur Germani populi diutius ipsam sacræ arboris appellationem notionemque retinuisse existimentur. Celtas vero sacram habuisse quercum, refert dissertis verbis Max. Tyrius [2] hæc scribens: Κέλτοι σέβουσιν μὲν Δία· ἄγαλμα δὲ Διὸς Κελτικὸν ὑψηλὴ δρῦς.

Utut est, constat id certe Germanorum mythum de arbore Ygdrasil perantiquam esse, quamquam multi poetæ sæpe eum variasse putandi sint [3]. Sed in magna mutatione, quæ paulatim facta est, ea tamen, quæ prima erant et maxime propria hujus mythi, minus mutata manserunt.

Itaque Virgilius, si quam de hac mythica arbore aliunde habuerit notionem, nullo omnino loco aptius ea narratione uti potuit quam in Infernorum descriptione.

At dixerit quispiam, Virgilium debuisse, si res se ita habere putanda sit, æsculum, non ulmum in Orco esse dicere; ita demum similitudinem agnosci posse. Ad ea primum responderi potest, poetam non id egisse, ut peregrinorum populorum mythos, si forte aliquos audiverit, in carmina sua iuferret, sed nihil impedire, quominus credamus, eum ea, quæ visa sint apta, adhibuisse, sed ita adhibuisse, ut nihil absonum esset a communi Romanorum consuetudine de his rebus cogitandi. Præterea contendo, poetam, si voluerit in Orco describendo arborem aliquam afferre ad similitudinem earum de illa arbore narrationum, quas verisimile videtur eum habuisse cognitas, nullam omnino aliam arborem adhibere potuisse quam ulmum.

Nam Plinius [4] hæc scribit de arboribus: Hæc fuere quondam numinum templa priscoque ritu simplicia rura

[1] vide tamen de hac re MÜLLENHOFFII "Deutsche Altertumskunde 5. 1. 15.

[2] Diss. 38.

[3] MANNHARDT, Baumkultus der Germanen p. 54.

[4] Hist. Nat 12. 2.

etiam nunc deo præcellentem arborem dicant. Nec magis auro fulgentia atque ebore simulacra quam lucos et in iis silentia adoramus. Arborum genera numinibus suis dicata perpetuo servantur: ut Jovi æsculus e. q. s.

Aesculus igitur, ut quæ Jovi dicata esset arbor, hoc loco adhiberi non potuit, sed postulabat res ipsa et consuetudo, ut si afferenda erat aliqua arbor, aliqua earum, quæ Diti sacræ erant, afferretur.

Atqui Diti sacræ erant salix, populus, ulmus, quæ res jam Polygnoti temporibus constabat. Nam is, quam Delphis Ulixen ad Inferos descendentem ibique versantem pingeret, Orpheum inter mortuorum umbras sub salice sedentem pinxisse fertur et lucum Proserpinæ populis et salicibus consitum [1].

Ergo ea res, quod adhibuit hoc loco ulmum, qua arbore nulla ex tribus Diti sacratis est major, nulla opacior, nulla mythicæ illi Germanorum arbori totius rerum naturæ quasi effigiem repræsentanti similior; ea res quodammodo confirmat eorum opinionem, quibus visus est Virgilius cognitos habuisse quosdam mythos Germanorum.

Prætermittenda videtur alia similitudo, quæ in eo deprehenditur, quod in arbore, quæ dicitur Ygdrasil, Dain et Dvalin versari dicuntur. Sunt enim Dain et Dvalin iidem ac Letum et Sopor, quos etiam Virgilius affert in Orci descriptione. Edda prosaica [2], — is locus in describendis Tartaris versatur, — etiam famem et alia mala, sicut et Virgilius rem proposuit, in regno Proserpinæ Septentrionalium, cui nomen est Hel, exhibet. Ita et Ovidius, quum Tartara describit, Metam. IV. 432 sequ., Hiemem Palloremque ibi habitare dicit. Nam omnium Indogermanorum,

[1] PAUSANIAS, Descript. Græc. 10. 30. 3.

[2] Gylfaginning C. 34.

qui vocantur, de mortuorum sedibus opiniones ex uno eodemque quasi fonte derivatæ sunt [1].

Sed perspicuum est Virgilium, quum mala illa enumerat, Theogoniam Hesiodi sequi. A versu enim ducentesimo decimo illius carminis enumerantur Noctis liberi, in qua enumeratione omnia fere ea mala occurrunt, quæ invenimus in descriptione Orci Virgiliana.

Omissa igitur nunc de arbore illa opaca disputatione, videmus poetam in Orco describendo ita versatum esse, ut circa ulmum locata fingeret ea mala, quæ maxime mortem arcessere putant. Ipsam vero Mortem eo loco non nominavit, quia ea tota Inferna possidet neque inter mala referri potest.

Ut igitur statuamus, quid Virgilius de morte judicaverit, proficiscemur a certo principio.

Cicero in libro, qui de Senectute inscribitur, p. 71. hæc habet: "Omnia, quæ secundum naturam fiunt, sunt habenda in bonis. Quid est tam secundum naturam quam senibus emori? quod idem contingit adolescentibus adversante et repugnante natura. Itaque adolescentes mihi mori sic videntur, ut quum aquæ multitudine flammæ vis opprimitur, senes autem, sicut quum sua sponte nulla adhibita vi consumptus ignis exstinguitur; et quasi poma ex arboribus, cruda si sunt, vix evelluntur, si matura et cocta, decidunt, sic vitam adolescentibus vis aufert, senibus maturitas.

Ex his, quæ allata sunt verba, apparet, mortem in duo genera divisam esse a Cicerone, quorum generum naturale est alterum, alterum non naturale. Hoc naturale ge-

[1] Schröter, Das Totenreich der Indogermanen. Ein Beitrag zur prähistorischen Mythologie. 1888.

nus mortis facile est, illud, quod contra naturam est, difficile.

Virgilium eodem modo rem perceptam habuisse documento est hic locus [1], ubi de Elissa difficilius moriente hæc habet:

Nam quia nec fato, merita nec morte peribat
sed misera ante diem, subitoque accensa furore
Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem
abstulerat Stygioque caput damnaverat Orco.

Ea res intellecta mirum quantum ad quorundam Necyiæ locorum compositionem illustrandam adjuvabit.

De Tartarorum descriptione nonnulla.

(v. 495—927.)

Quum necesse sit, priusquam transgrediamur ad Tartarorum descriptionem tractandam, pauca præmittere de ipsa via, qua hæc loca adeuntur, conjungemus hanc nostram disputationem cum iis, quæ jam dicta sunt de Orci vestibulo. Omnibus igitur, quotquot descendunt ad Inferos, eundum est per vestibulum Orci. At vivus nemo descendit præter paucos illos, quorum virtus tanta est, ut etiam hoc tam laboriosum tamque periculosum iter suscipere possint. Ergo, omissis his paucis, mortui tantum descendunt. Ea mala, quæ sunt ante vestibulum aut in ipso limine, significant destructivas, ut ita dicam, et rerum naturæ conservationi inimicas vires. Quæ, quoniam in malis sunt, recte in Tartaris habitant. Sed interdum in terris versantur ea mala funguntur que suo munere, quum homines Orco mit-

[1] Aen. 4. 695 sequ.

tunt. Si ea mala semper in Tartaris essent, mortales semper in terris ævum agerent felicitatis plenissimum. Si ad tempora, quum scribebatur Aeneis, respicimus revocamusque in memoriam, poetam dura secula jam mitescere credidisse novamque quandam auream ætatem incepisse, apte ea mala, quibus non multo ante vehementissime laboraverant Romani, in Orco locata, id est remota terris, finxisse putandus est. Eodem fere modo alius poeta, Calpurnius, de optata pace ac felicitate vitæ humanæ hæc ait[1]:

"*Omnia Tartareo subigentur carcere bella.*"

Ea tum via Aeneas deducitur a Sibylla. Veniunt ad Stygiam paludem, quam trajiciuntur animæ a Charonte. Aeneas quoque trajicitur, ut qui aureum ramum habeat.

Aeneas miratus, cur excipiantur alii a naviculario sene, relinquantur alii, ejus rei causam discit a Sibylla. Excipiuntur enim ii, qui rite sunt sepulti. Ceteri centum annos circa ripam vagari cogentur, nisi ante id tempus justa funebria iis facta erunt.

Expositus in altera ripa Aeneas, postquam Cerberum sopivit aditum ad palatium Plutonis Proserpinæque custodientem, audit ingentem vagitum infantum. Infantes enim proxima ab amne sive palude loca occupant. Quatuor aliæ enumerantur classes mortuorum eorum, qui inter Stygiam paludem versantur et eum locum, ubi finditur via (v. 540). Sunt ergo quinque:

I. Infantes
II. Sine causa morte multati
III. Ii, qui se ipsi interfecerunt
IV. Ii, quos durus amor vicit,
V. Ii, qui bello clari fuerunt.

[1] Ecl. 1. v. 52.

Hi omnes id habent proprium et commune, quod vi perierunt, non fato. Sed de fati vi ac significatione apud Virgilium illud dici potest, Virgilium non omnia, quæ alios, fato tribuisse. Fato autem significari omnium fatorum vim, omnia regentem naturam, non de singulari decreto vocabulum dictum esse certum est, neque illud obscurum, fatum ab divis divorsum poni [1]. Fata accelerari posse aut quodammodo mutari, docet ille, quem jam ante laudavimus, de Elissa moriente locus [2].

Quæ quum ita sint, dubitari vix potest, quin Virgilius secutus sit eandem de morte opionem ac Cicero. Quod si ita est, non potuit infantes alio loco collocare. Nam si ea mors in bonis est, quam naturæ necessitas et quædam quasi maturitas affert, ea mors, quæ abest ab ea maturitate, mala est atque eo magis mala, quo magis longe abest a naturali illa necessitate. Itaque Virgilius hoc loco nihil aliud quam concessa poetis libertate usus est, quum ordine quodam disposuit animas biothanatorum — is enim titulus est horum omnium — et prima loca infantibus assignavit. Nam quoniam verisimillimum est, eum non ea fuisse sententia, ut putaret, hos omnes, quos nominat, eodem semper loco futuros, apte eos, quibus diutissime manendum est, longissime ab eo quasi exitu esse voluit, quo suo quisque tempore ultro mittentur. Nam si cogitaverimus, ne in Elysio quidem manendum in æternum animabus, sed, postquam purum æterumque sensum secreto omni terreno elemento retinuerint, in divinam coelestemque originem redeundum — id enim docet Virgilius — ipsa res postulat, ut rem ita interpretemur, ut videatur poeta voluisse, nulli ænimæ amplius hominis ætatem in lugentibus campis morari.

[1] R. Dietsch, Theologum. Virgil. p. 16.
[2] IV. 696.

Nam fuisse talem de iis, qui præmature obeunt, opinionem, apparet ex hoc loco Tertulliano [1]: "Aiunt et immatura morte præventas (animas) eo usque vagari, donec reliquatio expleatur ætatis, quam tum pervixissent, si non intempestive obiissent".

Itaque statuendum putamus Virgilium, quum scriberet, ea fuisse sententia, omnes eos, quos videt Aeneas inter Acheronta et eum locum, ubi finditur via, moraturos esse, donec dierum summa tanta sit, quanta fuit futura, si non vi sed fato obiissent. Sed non modo eas animas, quæ enumerantur, ibi esse voluisse poetam, sed omnium, quotquot præmature perierunt, exceptis fortasse jure damnatis ea re confirmari credo, quod inter eos, qui enumerantur, etiam Sychæus est, quamquam in nulla quinque illarum classium collocari potest. Sed si constituimus Virgilium dicere velle, non tam eos, quos opus distinguendi causa nominavit, ibi esse putandos quam omnes præmatura morte præreptos, apte hoc loco nomen Sychæi occurrit. Nam si statuas eum eadem fere fuisse atque Elissam ætate, consentaneum est, eum non magis quam eam ætatis explevisse reliquationem. Sed de hac re satis.

Quemadmodum ante Acherontis trajectionem fit divisio animarum, sic trajectas animas ita divisas deprehendimus, ut efficiantur duo genera: alterum continet eas animas, quibus ad tempus manendum est, alterum autem eas, quæ peracto jam, quod præstituit fatum, vitæ spatio porro mittuntur.

Sed quoniam animæ, quæ mittuntur, aut piæ sunt aut non piæ, iterum necessario fit divisio ita, ut non piæ in Tartara mittantur, piæ in Elysium.

[1] De anima. Ed. Reifferscheid et Wissowa. p. 389 sequ. Equidem non dubitaverim, quin Virgilius in hac quoque re secutus sit aliquam pervetustam opinionem, quam fortasse Plato significat (De republ. p. 615c) sed indignam putat, quæ afferatur.

Tartara vero Virgilius non eodem modo quo cetera Infernorum loca descripsit, quoniam opus suum hac re ita instituit, ut Aeneas non per ea loca ambulans induceretur, quo factum est, ut Sibylla narraret ea, quæ de iis rebus, quæ in Tartaris finguntur, dicenda viderentur. Inducitur Sibyllæ narratio hoc modo. Digressu Deiphobi (v. 547) Aeneas respiciens in locis inferioribus videt moenia triplici murorum serie circumdata, simul audit tractarum catenarum strepitum gemitumque miserorum. Roganti deinde Sibylla exponit, quo modo puniantur post mortem ii, qui in vita distulerunt piacula. Sed quoniam nihil adtinet hæc omnia referre, satis est admonere de iis, quæ majoris momenti sunt.

In iis est, quod Virgilius etiam hoc loco docet, apud Inferos esse justos judices. Nam ut ii, qui injuste damnati sunt in terris, Minoe justo utuntur judice eodemque clementi, ita scelerati, qui dum vixerant, evitarunt, ne darent poenas, in Tartaris nullum non coguntur confiteri scelus, quod commiserunt. A Rhadamanto damnatos Tisiphone flagellat.

Offendit in descriptione hac, quod Tisiphone et paulo post furiarum maxima occurrunt, quamquam jam ante dictum est Evmenides in Orci vestibulo habitare. Fortasse hæc res inter ea numeranda est, quæ poeta, si ei retractare opus licuisset, emendaturus fuisse creditur. Nam ut conatus sum ostendere alio loco, cur verisimile esset nominatas esse in Orci descriptione Evmenides, ita etiam hoc loco causa afferri potest, cur occurrant in Tartaris. Primum dici potest, eas in vestibulo Orci locatas esse a poeta, ut ita significaret, earum munus esse etiam in terris expetere poenas ob crimina, quæ ulcisci earum proprium est. Sed non omnes, qui ea scelera commiserunt, in terris dant poenas, quare necesse est, eas in Tartaris eodem munere fungi.

Alia videtur esse causa, quod ea, quæ semel recepta erant in aliqua arte, servabantur constantissime. At descriptiones earum rerum, quæ in Tartaris sunt, apud antiquos frequentiores fortasse fuerunt, quam quisquam putat. Nam non solum poetæ[1] aliique scriptores in iisdem rebus versati sunt, sed etiam artifices fingendi pingendive eas expresserant. Omitto, quod Polygnotus Delphis Ulixen inter mortuos versantem pinxerat. Sed etiam apud Romanos præter vasa nigris figuris inscripta has res exhibentia tabulas pictas fuisse putandum est. Nam nisi ita esset, non credo Plautum[2] inducturum fuisse Tyndarum hæc dicentem:

Vidi ego multa sæpe picta, quæ Acherunti fierent
Cruciamenta, — — —

Itaque haud scio, an desiderarentur Evmenides, si in Tartarorum descriptione non occurrerent.

Sed utut ea res est, nunc exponemus, quæ maleficorum genera in Tartaris puniantur. In qua descriptionis parte poeta multa nova non addidit iis, quæ semel recepta et probata operis lex quodammodo postulabat. Ita factum est, ut Virgilius, quum ad communem omnium opinionem hæc narraret, nihil, quod esset novum atque inusitatum, adderet, nisi quod expressit quædam ad similitudinem judiciorum Romanorum jurisque civilis. Nam, omissis fingendi pingendive artificum operibus, non solum epica carmina permulta ejusmodi descriptiones continebant, sed etiam tragicorum ars et scæna hæc omnia exhibuerat tam frequenter, ut, siqui in his rebus exponendis nimia libertate usus esset recessissetque longius ab iis, quæ usus atque consuetudo

[1] Horatius quoque sat multis locis de rebus Infernorum breviter mentionem facit, sed ita, ut non aperte concludi possit, quas sequatur opiniones. Ita Od. II. 13. 21 sequ. aliquid simile video iis, quæ sunt Aen. VI. v. 662. Carmen XII lib. 1. quamquam non in iisdem rebus versatur, multam habet cum recensu animarum similitudinem.

[2] Capt. V. 4. 2.

postularet, offensurus fuisse putandus sit animos eorum, qui legebant audiebantve ea.

Sed etiamsi in hac re adstrictus erat poeta certis legibus, nihil tamen impediebat, quominus iis, quæ mutuarentur ab aliis, ita disponeret atque collocaret, ut non nimis desideraretur mira illa, qua ceteris locis commendari solet, dispositionis ars.

Quoniam igitur turbatus est versuum ordo neque ex eo erui potest, quo discrimine usus poeta disposuerit eos, qui in Tartaris puniri finguntur, sed nihilo minus verisimile est ejus animo obversatam esse aliquam divisionis formam atque rationem, conabimur hoc loco non restituere versus aut aliquem eorum instituere ordinem, sed ostendere, quibus, ut ita dicam, principiis proficiscendum sit, si quis velit experiri, si transponendo aptam efficere possit membrorum collocationem.

Id nobis videmur assecuturi esse, si regressi ad unum locum Ciceronianum, ea, quæ sequentur, diligentius percensuerimus. Nam Cicero, quum[1] Socratem de duabus illis viis, quarum altera animabus ex corporibus excedentibus ingredienda est, disserentem facit, eundem et hæc dixisse scribit: "Nam qui se humanis vitiis contaminavissent et se totos libidinibus dedissent, quibus cæcati vel domesticis vitiis atque flagitiis se inquinavissent vel re publica violanda fraudes inexpiabiles concepissent, iis devium esse quodam iter, seclusum a concilio deorum".

Videmus ergo humana vitia dividi hoc loco in dua genera, quorum alterum domesticorum vitiorum est, alterum eorum, quæ contra patriam sunt commissa. Sed in antiquissima poesi Græcorum nulli prius existimati sunt poenas in Tartaris pendere quam ii, qui contra deos peccaverunt.

[1] Tusc. Disp. 1. 30.

Quod sceleratorum genus si ad priora illa adjungemus, hæc evadet divisionis forma:

I. Vitia in deos commissa.
II. Domestica vitia.
III. Vitia in patriam.

Si nunc, addita pube Titania, quam immissam Tartaris poetarum fabulæ ferunt, eos, qui in Tartaris puniri in hac descriptione narrantur, servato, quem supra proposuimus, ordine, suo quemque loco disponemus, efficietur hæc divisio:

I.

Ob vitia in deos commissa puniuntur:

Aloidæ	v. 582	(Ed. Ribbekkii)
Salmoneus	v. 585	
Tityos	v. 595	
Ixion et Pirithous	v. 601	
Theseus et Phlegyas	v. 618.	

II.

Ob domestica vitia puniuntur:

qui contra parentes et cognatos impii fuerunt	v. 608
qui ob adulterium cæsi sunt	v. 612
qui clienti nocuerunt	v. 609
qui ob avaritiam suis partem non dederunt	v. 610
qui thalamum natæ invasit	v. 623.

III.

Ob fraudes in patriam puniuntur:

qui impia secuti sunt arma	v. 612
qui dominorum dextras fefellerunt	v. 613
qui auro vendidit patriam	v. 621
qui patriæ imposuit dominum	v. 621
qui leges fixit atque refixit	v. 622.

Sed sicut in vestibulo Orci describendo poeta adtulit non omnia genera eorum, qui præmature mortui sunt, sed tot, quot ad varietate quadam opus distinguendum satis esse putavit, ita hoc quoque loco satis habuit alia genera nominare, alia significare. Nam maleficorum plura esse genera poenarumque formas, quam ut narrari possint, ostendunt hi versus:

Non mihi si linguæ centum sint oraque centum
ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas
omnia poenarum percurrere nomina possim.

De hac re quæstionem injectam esse scimus, quos Romanos ob oculos poetam habuisse esset verisimile, quum has varias poenarum formas describeret vel significaret. Fieri enim potuit, ut Spartacum, Antonium, alios significatos voluerit. Nam quod constat versum 622 sumptum esse ex epico quodam carmine Varii poetæ et ad Antonium spectare, credo Virgilium eum versum recepisse maxime ob id, ut ita Varium honoraret, quamquam non nego, quicumque Varii versum hunc et huic proximos habuerit cognitos, non potuisse non de Antonio hoc loco cogitare. Credibile igitur est, nullum ab Virgilio additum esse novum scelerum genus, parvasque tantummodo mutationes esse factas. Nam si exempli causa ex Ranis Aristophanea versum centesimum quadragesimum quintum et aliquot sequentes non minus quam descriptionem, quam habet Pausanias, picturarum Polygnoti Ulixem apud Inferos versantem exhibentium[1] cum similibus locis Virgilianis conferas, apparebit, credo, Virgilium in Tartaris describendis secutum esse eas earum rerum descriptiones, quæ jam diu ferebantur.

Præterea, si voluisse putandus sit per ambages ali-

[1] Paus. Discript. Græciæ IX. 31. 4.

quem significare eorum, qui multis seculis post Aenean victuri erant, satis erat genera peccatorum demonstrare, quia, si semel dictum erat hoc vel illud genus hominum in Tartaris puniri, unusquisque facile supplere poterat nomina ejusmodi Romanorum.

Sed abstinuit in hac operis parte, quominus afferret alia nomina quam ea, quæ jam allata erant ab aliis in ejusdem generis descriptionibus. Nam non proposuerat sibi, ut eos, quos privatim improbaret, æterni laboris suppliciique damnatos induceret. Neque dubium est, quin Virgilius rem periculosam esse putaverit nimis diligenter singula persequi præsertim in tam recenti rerum memoria, sicut Horatius Asinium Pollionem [1] admonet, quam periculosum sit civilis belli historiam scribere, quoniam etiamtum, ut ipsius poetæ verba afferantur, ignes doloso cineri suppositi sint.

Sed si voluisset poeta, potuit certe quemvis hac nota dignum in Tartarorum descriptione nominare. Quid enim facilius fuit quam Sibyllam inducere prædicentem, qui Romani notabiliores in Tartaris scelera luituri essent. Nam is, qui in Elysii descriptione animarum recensus argumentum excogitavit tam ingeniose et in clipeo describendo [2] Catilinam in Tartaris poenas pendentem finxit, etiam hoc loco latum dicendi campum habere potuit. Nam videtur ita natura comparatum esse, ut hominibus major vis esset in rebus immanibus et insolitis describendis quam in perpetua illa plenaque felicitate, qualis beatorum fingi solet, exponenda. Ut exemplum afferamus, nominabimus Danten, admiratorem illum atque imitatorem Virgilii. Nam is primam Divinæ, quæ inscribitur, Comoediæ partem sive Tartarorum descriptionem tanta copia, arte, sublimitate ita dis-

[1] Od. II. 1.
[2] 8. 667—668.

tinxit, ut ea pars ceteris operis partibus superior esse judicari soleat ab æstimatoribus.

Itaque si Virgilius Tartarorum non eadem, qua Elysii descriptionem, ad quam nunc transibimus, arte et copia ornavit, ita factum esse credimus ab eam potissimum causam, quod ad Elysium describendum omnia exquisitioris artis subsidia atque adjumenta reservare voluit. Nam descriptio Elysii et rerum, quæ ibi sunt, non solum Necyiæ sed quodammodo totius Aeneidis pulcherrimum ornamentum existimari debet.

De Elysii descriptione.

v. 637—854.

Sibylla expositis breviter iis, quæ in Tartaris esse finguntur, admonet Aenean, ut aureum ramum defigat in adverso limine. Quo facto veniunt in Elysium fortunatorumque sedes. Ibi largior est æther, sol suus, sua sidera. Enumerantur ex iis, qui ibi sunt, Orpheus, magnanimi heroes, Ilus, Assaracus, Dardanus. Videt Aeneas alios epulas celebrantes; alii pæana canunt. Omnes, quæ vivis cura fuit, eadem mortuos sequitur.

Sicut in Tartarorum descriptione significata sunt quædam genera eorum, qui ob commissa scelera puniuntur, ita etiam hoc loco nominat poeta quinque genera eorum, qui ob merita digni sunt, qui, decorati vittis, divinis honoribus fruantur in opacis lucis Elysii.

Est distributio, ex qua humanitas ac mite ingenium Virgilii agnoscitur, hæc:

qui vulnera pro patria passi sunt; v. 660
qui casti sacerdotes fuerunt; v. 661

qui pii vates fuerunt et Phoebo digna locuti sunt; v. 662
qui per inventas artes excoluerunt vitam; v. 663
qui sui memores Salios fecerunt; v. 664.

Ergo hoc quoque loco deprehendimus quinque genera allata esse, sicut ante vidimus in lugentium camporum Tartarorumque descriptione eundem numerum secutum esse poetam. Sed sicut iis locis etiam hoc loco omisit plura, quia longum ac difficile erat singula persequi. Primo in hac descriptione loco et ultimo occurrunt ii, qui in patriam meriti sunt. In medio collocat pios vates. Qua in re sine dubio secutus est eandem opinionem, quam secutus Plato Homerum e civitate, quam finxit in litteris, ejicit et in alio libro, in Gorgia ni fallor, eum in Tartaris purgari dicit, ut qui de diis, quæ iis sit indigna, dixerit.

Quod vero scribendum censeo in versu 664 non alios vel aliquos, ut habet Ribbekkius, sed Salios, meum est afferre rationem, cur eam conjecturam ingeniosam credam. A quo proposita sit, non memini, sed recepta est in editionibus in usum scholarum Austriaci imperii adornatis.

Salii enim, quorum collegium Augustus, quum in id incumberet, ut mores majorum ceremoniarumque disciplinam revocaret, iterum quodammodo instituit, id sibi propositum habebant, ut, quum carmen suum sive Axamenta canerent, inter deorum dearumque nomina etiam magnorum virorum nomina recitarent. Ii, quorum nomina ita inserta erant Saliari carmini, inter Lares præstites recepti videbantur, quemadmodum pater familias post mortem inter Lares domesticos referebatur. Itaque ingens caritatis et gratiæ testimonium datum est Augusto, quum eodem honore affectus est vivus [1]. Nam constat ex monumento Ancyrano,

[1] Vide de ha re NIPPERDEY ad. Tac. Ann. II. 18.

Augusti nomen senatus consulto inclusum esse in Saliare carmen, siquidem Mommsenius recte conjecit [1]. Rem præterea confirmat Cassius Dio [2].

Apud Ciceronem Scipio Africano nepoti præcipit [3], quo sit alacrior ad tutandam rem publicam, sic habeat: omnibus, qui patriam conservaverint, adjuverint, auxerint, certum esse in coelo ac definitum locum, ubi beati sempiterno ævo fruantur. Nihil enim illi principi deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat esse acceptius, quam concilia coetusque hominum jure sociatos, quæ civitates appellantur. Harum rectores et conservatores illinc profectos illuc reverti. Neque, ut ait Cicero alio loco [4], ulla res est, in qua propius ad deorum numen virtus accedat humana, quam civitates aut condere novas aut conservare jam conditas: quam ob rem quum nihil inter homines bonum atque laudabile perficiatur sine divini numinis instinctu, ipseque adeo animus, rectæ rationis et virtutis capax, non terrenam habeat, sed coelestem originem ingeneratusque sit hominibus a supremo deo, tum hoc, quod in nobis divinum est, in nullo magis conspici atque clarescere potest quam in iis, qui in regio ac principali statu collocati coetus hominum societatesque civiles cum justitia, fortitudine, sapientia regunt et moderantur.

Hæc et horum similia Virgilio obversata necesse est, eo magis quod non potuit in Elysi descriptione omittere eos, qui rem publicam auxerunt, adjuverunt, conservarunt. At quonam modo eos nominare potuit aptius quam hoc? Nam quicumque tum audiebat legebatve versum hunc: quique sui memores Salios fecere merendo, cogi-

[1] MOMMSEN, Monum. Ancyr. (lat. 2. 21) ed. 2.
[2] 51. 20.
[3] Somnium Scipionis C. 13.
[4] de rep. 1. C. 7.

tabat etiam de Augusto[1]. Neque ineptum est constituere poetam hoc loco de eo admonere voluisse, si quidem fieri vix potuit, quin versum 622 legentibus de Antonio subiret animum cogitatio.

Sed revocanda est disputatio eo, unde longius fortasse digressi sumus, ut expediamus ea, quæ de re, quam tractare coepimus, jam sunt dicenda.

Sibylla igitur, quum Anchises non adsit ibi, rogat Musæum, ubi quærendus sit. Musæus eos deducit in eum locum.

Anchises recensebat in valle virenti numerum suorum, quum Aenean conspicit venientem. Salutatione data redditaque colloquuntur filius et pater. Interea videt Aeneas seclusum nemus et Lethæum amnem, circa cujus ripas innumeræ gentes populique volitant. Campus murmure strepit. Aeneas, quum hæc omnia videt, mirabundus requirit causas, cur illæ animæ compleant ripas. Tum Anchises docet: esse animas, quibus sors data sit, ut iterum in corpora abeant, postquam biberint præteritorum oblivionem. Se velle illi ostendere, qui magni futuri sint Romani, quo magis gaudeat suo in Italiam adventu. Ad ea respondet Aeneas, sibi mirum videri, velle aliquos in vitam redire corporumque tarditatem.

Tum Anchises breviter exponit, unde ortæ sint animæ. Esse originem earum coelestem delibatasque esse ex divina illa mente sive spiritu, qui per cuncta meet agitetque mundum, sed tardari eas terrenorum corporum contactu. Itaque quum vitam reliquerint, necesse esse conceptum malum elui. Purgationem eam fieri aëre, aqua, igni. Omnes igi-

[1] Concedo aliquam dubitationem esse posse, si quis putet, non apte de Saliis dicere Anchisen, sed credo poeticæ, quæ dicitur, licentiæ id adtribuendum esse.

tur animas, dum in corporibus sint, aliquam concipere labem, quæ eluenda sit.

Itaque quum Anchises dicit: *quisque suos patimur manes,* ea verba interpretanda sunt hoc modo: omnes, dum in corporibus sunt, recipiunt in se aliquid ex mortalibus, ut ita dicam, elementis, quod quum eluitur, manes suos pati dicuntur animæ.

Sed passæ ea, — ita enim docet Anchises —, quæ ad purgationem opus sunt, in Elysium mittuntur. At non omnes animæ ibi manent[1], plures enim redeunt in nova corpora, postquam ex Lethæo fluvio oblivia potarunt. Pauci admodum manent, donec temporis longum spatium omnem exemit labem neque quidquam præter purum æthereum sensum simplicisque auræ ignem reliquit. Tum fieri scilicet reditum in spiritum illum cuncta regentem, putandum est. Anchises dicit se esse in numero eorum, qui in Elysio manebunt. Ceteras autem, quas monstrat his verbis: "has omnes", in nova corpora abituras docet.

Ergo eæ animæ, quæ manebunt, tenent Elysii arva, donec perfecto temporis orbe[2] redibunt in divinum illum spiritum, unde profectæ sunt.

Sed si Virgilius in animarum recensu, ad quem mox transibimus, omnino nullos alios nominat quam eos, qui propter virtutes et in patriam merita post mortem in Elysii lucis habitabunt, id est manebunt in Elysio, sequitur, ut

[1] Observandum est manendi vocabulum a me adhiberi eo sensu, ut contrarium sit vocabulo abeundi, quod hoc loco usurpatur de iis, qui in vitam redibunt. Nam eæ animæ, quæ non jam nova corpora sortientur, manebunt quidem in lucis Elysii, sed non in æternum ibi manebunt.

[2] Poeta sine dubio ob oculos habuit placita quædam philosophorum de his rebus, qualia sunt apud Platonem in Timæo 530—531 et aliis locis.

putandum sit, eas animas postea non reversuras esse in vitam sed mansuras, donec eæ quoque puræ et integræ redibunt in mentem illam divinam.

Ex iis, quæ supra disputata sunt effici posse credo, versuum ordinem (724—751) non mutandum esse sed retinendum talem, qualis est in codicibus.

Hoc loco necessarium non est ostendere, quæ Pythagoreis atque Orphicis, quæ Platoni aliisque philosophis debeantur ex iis, quæ proposuit Virgilius. Nunc satis est admonere, eum ex intima philosophia hausisse, id quod Servius dicit, et aptum ad animarum recensum effecisse transitum.

Anchises, quum docuit Aenean, cur maneant in Elysio aliæ animæ, revertanturque aliæ in vitam, eum in tumulum deducit, unde cognoscat eos, qui magni futuri sunt Romani. Tum fit recensus animarum, ob quem tota Necyia instituta est. Institutus est ille recensus ad similitudinem quandam recognitionis, qualis more militari fieri solebat apud Romanos.

Descriptio hujus recensus, quamquam semper visa est digna admiratione non solum propter argumenti novitatem [1] sed etiam propter sublimitatem verborum, aliter tamen ab aliis in disceptationem vocata est, quum aut obscura videretur aut confusa parumque cohærens. Itaque Ribbekkius, ut id, quod maxime ei videbatur offendere, removeret, versuum ordinem mutavit transponendo. Sunt tamen, quibus videatur omnis hoc loco transpositio non modo non necessaria, sed etiam a mente ac consilio poetæ aliena, ut qui

[1] Bernhardy, Grundriss der Röm. Literaturgesch.[5] p. 497: Sogar das Mittel der Vision ist von ihm erfunden.

non secundum temporum rationem, sed longe alio modo animas nominatas voluerit.

Utrum in tres partes hæc descriptio dividi debeat, ut vult Th. Plüssius, vir ille doctissimus [1], an in plures, hoc loco relinquendum est in medio, eo magis quod verisimillimum est, non plus duo quasi agmina procedere eorum, qui recensentur.

Collocati sunt in primo agmine Aeneadæ proprio sensu, e quibus nominantur Aeneas Silvius, Albani reges, Romulus, gens Julia cum Augusto. Hi omnes priore loco occurrunt, quia omnes ab Aenea originem ducunt, quare consentaneum est, eorum fata ei magis cordi esse quam reliquorum. Hæc collocatio personarum conveniens est loco illi nobilissimo [2], ubi poeta Jovem inducit Veneri prædicentem, quæ immota maneant fata Aeneadarum. Nam, excepto Ascanio, qui in recensu animarum occurre non potest, ut qui jam sit in terris, utroque loco iidem occurrunt. Præterea in eo deprehenditur similitudo, quod, quemadmodum Jupiter [3] promittit se imperium sine fine daturum esse Romanis, ita Anchises [4] dicit Romam, auspiciis Romuli conditam, imperium terris æquaturam esse. Eadem similitudo inest versibus 290—296 libri primi, et 792—808 sexti, nam utroque loco poeta miris modis Augustum extollit.

Inter Aenean Silvium et Augustum mille annorum spatium intercedit. Nova seculorum series ordietur ab Augusto, quæ series sine dubio mille annorum putanda est, siquidem millesimo quoque anno animæ, quibus in vitam

[1] Virgil und die epische Kunst p. 178—285.

[2] Aen. I. 261—295.

[3] 1. 275—285.

[4] 6. 782—788.

redeundum est, a deo evocantur in vallem Elysiam, ut inde emittantur suo quæque tempore.

Sed redeundum est ad inceptum. In altero agmine enumerantur Numa, Tullus, Ancus, Tarquinii, Brutus, Decii, Drusi, Torquatus, Camillus, Cæsar et Pompejus, Mummius, Aemilius, Paulus, Cato, Cossus, T. Sempr. Gracchus, Scipiadæ, Fabricius, Fabii cum Maximo. Sed hi non hoc modo collocati sunt, quo enumerantur. Nam, ut ostendit vir doctissimus, Andr. Schalkhäuser [1], Anchises, quum filio monstrat eos, de quibus loquimur hoc loco, a dextro quasi cornu incipiens ei ostendit eos, qui stant usque ad mediam aciem — sunt enim ii Numa et deinceps omnes usque ad Camillum — tum ab altero cornu incipiens omnes deinceps recenset usque ad eum locum, ubi nuper desiit. Sunt hi posteriores Cæsar et Pompejus et qui enumerantur usque ad Fabios, quorum Maximus ita collocatur a Camillo proximus. Itaque quemadmodum in priore agmine conditor Romulus in medio collocatus erat, ita in hoc altero medium fere locum obtinent Camillus et Fabius, futuri rei publicæ conservatores.

Quærentibus, cur hoc potissimum modo poeta collocatos voluerit eos, quorum fit recensus, necesse est videatur ita voluisse ostendere, quale civitatis genus esse deberet.

Nam priores sunt ii, qui unius imperium habituri sint; in altero ordine sunt ii, per quos Aeneadarum imperium transferetur ad consules, deinde liberæ civitatis magni viri, tum ii, per quos iterum constituetur regale genus civitatis, sive mavis unius imperium. Tale fuisse poetæ consilium, ex ea re apparet, quod Julium Cæsarem a Julia gente se-

[1] Beiträge zur Erklärung des sechsten Buches der Aeneide Virgils. Bayreuth 1873.

paratum voluit. Is enim in viscera patriæ vires verterat. Sed Aeneadarum imperium pacificum esse debebat.

Quæ res si se ita habet, Virgilius hoc modo instituit Necyiam, ut ea, quæ de republica admonendi ei videbantur Romani, eo majorem haberent auctoritatem, si ab heroe Anchisa in Elysio dicta fingerentur.

Recensu finito Anchises, velut si sentiat non nisi bellatores a se filio ostendi potuisse, addit hæc:

849 *Excudent alii spirantia mollius æra:*
Credo equidem; vivos ducent de marmore vultus;
orabunt causas melius, coelique meatus
describent radio et surgentia sidera dicent:
Tu regere imperio populos, Romane, memento;
hæc tibi erunt artes: pacis imponere morem,
parcere subjectis et debellare superbos.

Itaque tota Necyia — missos facimus versus illos aureos, qui postea additi non pertinent ad primarium consilium poetæ — eo spectat, ut quasi ante oculos proponatur Romanis, eos ad magnas res natos esse et ad salutem generis humani. Admonentur, quam stabilis sit rerum ordo, ut excitentur ad spem majorum rerum, et peractis fatis bona jungant fata.

Quantus fuerit poeta Virgilius, quum multis aliis ex rebus cognoscitur, tum vel maxime ex hac Necyia, in qua componenda miram exhibuit artem doctrinamque profundam. Quanta vero arte usus sit, ut hunc animarum recensum institueret ita, ut in eo describendo dicere posset de iis rebus, quibus nullæ magis ad cogitandum atque quærendum exitant animos hominum, ex iis, quæ jam dicta sunt brevissime, apparere credo.

Nunc quale sit theologicum, ut ita dicam, systema Virgilii, paucis verbis expedire conabor, ita tamen, ut non afferam similia ex libris philosophorum. Nam, unde hæc omnia habuerit, nihil refert.

Animæ igitur origo est coelestis. Una mens totam mundi molem permeat. Ex ea particulæ sunt singulæ animæ.

Quum morte discedunt animæ a corporibus, sub terram veniunt. Per vestibulum Orci eunt omnes sine discrimine. At qui per vestibulum eunt, aut rite sepulti sunt, aut non sepulti. Qui sepulti sunt, eorum animæ trajiciuntur a Charonte, ceteræ centum annos errabunt in ripa.

Sed trajectæ animæ sunt aut eorum, qui vi, id est præmatura morte sunt erepti, aut eorum, qui bona illa naturalique morte defuncti sunt.

Iis, quorum discessus e vita contra naturam fuit, manendum est in campis lugentibus, donec compleverint id ætatis spatium, quod pervixissent, nisi vi essent erepti. Animæ eorum, quorum vitæ spatium a fato constitutum exactum est, porro mittuntur. Atqui sunt hæ, quæ mittuntur, aut piæ animæ aut impiæ. Itaque impiæ in Tartara mittuntur, ut, si iis inest insanabilis labes, ibi in æternum puniantur, sed, si sanari possunt, purificentur. Quo facto in Elysium mittuntur.

Eæ vero animæ, quæ piæ sunt, non tamen ideo puræ sunt. Iis tamen eo facilior in Elysium datur aditus [1], quo magis piæ fuerunt. Itaque Anchises, ut qui pius fuerit, mox in Elysium venisse perhibetur.

Omnes igitur patiuntur ea, quæ ad purificationem opus sunt, quo facto in Elysium eunt.

[1] Confer: Cic. Tusc. Disp. 1. paragrapho 72 fere extrema.

Sed animæ, quæ in Elysio sunt, in duas partes sunt distributæ. Aliæ enim, quibus in nova corpora abituræ sunt, in convalle seclusa habitant mille annos, donec ex poto Letheo flumine oblivione præteritorum effecta suo quæque tempore in nova corpora redeunt.

Altera pars piarum animarum, quibus manendum est in Elysio, habitant in lucis fruunturque plena beatitudine atque felicitate. Sed ne hæ quidem perfecte sunt purificatæ. Nam non nisi longo temporis orbe perfecto æthereus ille purissimus sensus simplicisque auræ ignis sine ulla terrena admixtione relinquetur. Tum vero integræ ac puræ redeunt in divinam illam mentem, unde sunt profectæ.

Ut nunc ea, quæ dicta sunt, comprehendamus breviter, videtur Necyia Virgilii in describendis Infernorum locis rebusque, quæ ibi fieri finguntur, non modo nihil, quod magnopere offendat, continere, sed mirifice sibi constare, si modo conceditur vera esse, quæ supra diximus. Ea, quæ videt Aeneas vel audit a Sibylla, supplentur quodammodo iis, quæ Anchises docendi causa affert. Ita fit, ut visa et narrata, sicut ea composuimus, inter se composita in unum conspirent.

Admirabili igitur arte Virgilius, quum sibi proposuisset, ut Romanis epicum carmen scriberet, de iis rebus, quibus nihil dignius esse potest cognitione, ea, quæ dicenda arbitrabatur, ita dixit, ut quam maximam habere viderentur auctoritatem.

Itaque de deo, de anima atque immortalitate, de re-

publica divinam quandam doctrinam voluntatemque proposuit interprete Anchisa.

Nova tamen non erant ea aut ab eo inventa, quæ de his rebus affert. Nam permulta, ne dicam omnia, mutuatus est ab iis, qui de iisdem rebus scripserant, quod facile est intelligere, si locos omnes Platonicos, qui ad easdem res pertinent, compares cum similibus locis Virgilianis. Sed ne Platonem quidem finxisse verisimile est ea, quæ habet de his rebus, sed accepisse permulta a Pythagoreis.

Quæ de republica Romana dicenda putabat, Anchisen induxit dicentem. Is Aeneadis fatis datum esse ostendit quasi hereditarium imperium, populumque Romanum natum esse ad orbis terrarum imperium obtinendum. Erit tamen hoc omnium gentium imperium, quum Augustus id acceperit, pacificum, mite, toti generi humano salutiferum. Ab eo incipientia secula, non, ut proxima ante eum, dura, sed mitia erunt condeturque nova aurea ætas. Renovabuntur semper secula purioresque semper ex Elysia illa convalle emittentur eæ animæ, quibus redeundum est in vitam.

Sed sicut in rebus afferendis adstrictus erat ea lege, ut ea tantum, quæ vera erant aut pro veris habebantur, afferre vellet neque quidquam, quod pio vate Phoeboque esset indignum, inserere in carmen, ita in rebus collocandis usus est concessa poetis libertate, quo fit, ut, sive profundam doctrinam poetæ respicimus, sive copiam atque artem dicendi, sextus Aeneidis liber admirandus videatur.

Hoc loco finis faciendus erat huic opusculo. Sed quoniam in Orci descriptione tractavimus res tam similes nonnullis rebus, quæ in aliorum quoque populorum mythis antiquissimis occurrunt, ut videatur necesse esse constituere, aut Virgilium hos perantiquos mythos habuisse cognitos,

aut ex Virgilii libris posterius illata esse hæc similia in eas, quas spectamus, narrationes mythologicas, pauca mihi videntur addenda esse, quibus fortasse exitentur alii ad has res diligentius pertractandas. Non equidem ignoro, ea, quæ verisimillima sunt, falsa esse posse, veraque interdum minime verisimilia videri. Itaque haud magno in discrimine ponendum existimo, quomodo res accipiatur. Sed quum viderem Rydbergio nostro visum esse verisimile, Virgilium ex iis mythologicis narrationibus, in quibus interpretandis ipse tanta arte tantaque sagacitate versatur, aliquid habuisse cognitum, ausus sum proponere ea, quæ in hac Virgiliana Necyia mihi quidem viderentur similia iis, quæ in ejusmodi descriptionibus haberent similia Islandicorum carmina antiquissima. Nam sicut in umbris atque eminentia multa vident pingendi artifices, quæ fugiunt eos, qui pingere non didicerunt, et in cantu observant in eo genere exercitati permulta, quæ non observant alii, ita in hoc genere literarum, quod in mythis comparandis versatur, talis vir, qualis est Rydbergius, gravis esse debet auctor. Itaque eo libentius arripui occasionem de hac re quæstionem proponendi, quod Rydbergius ipse me per litteras certiorem fecit, sibi Virgilium legenti interdum videri velut ex longinquo repercussas audire voces similitudinesque agnoscere, parvas quidem, sed tamen similitudines, quæ moveant suspicionem, eum cognitas habuisse mythicas narrationes ceteris Græcorum Latinorumque scriptoribus, quod conjici possit ex scriptis eorum, incognitas.

Præterea me admonuit ille vir doctissimus, Virgilii nomen, si quidem scribendum est Vergilium, ut multi scribere solent, non per i litteram, ut vulgo fit, ex Germanica vel Celtica lingua esse derivandum, fierique fortasse

posse, ut poeta, quo nemo magis Romanus fuit, ex aliquo peregrino populo putandus sit duxisse originem.

Hanc doctissimi viri, quem omnes meritissimo admiramur, sententiam propositam volui, ne lateret, non quod putarem ejusmodi conjectura opus esse ad demonstrandum, quo modo fieri potuisset, ut apud Virgilium occurrerent similitudines hæc, de quibus loquimur. Hoc tamen non ita dictum volo, ut videar contendere, Rydbergium suam de Virgilii origine proposuisse conjecturam, ut ita deprehensas a se similitudines redderet magis verisimiles. Nam sunt eæ per se satis manifestæ.

Sed ut libenter confiteor, Virgilium, si a stirpe Germanica vel Celtica oriundus fuerit, velut per hereditatem accipere potuisse aliquam de suorum majorum mythis cognitionem, ita non video, cur non eodem, quo alii iisdem temporibus modo de eorum populorum religionibus et doctrina satis accurata ac certa perciperi potuerit.

Ita, ut exemplum afferamus, Asinius Pallio, ut ex fragmentis Appiani[1] apparet, satis accurate videtur cognitum habuisse, quid Celtæ de immortalitate animi crederent. Sed ea cognoscere vix potuit, nisi exposita tota eorum theologia. Quam qualem verisimile sit fuisse de rebus novissimis, breviter monstrat Müllenhoffius[2].

Sed si Asinius Pollio de his rebus aliquid cognitum habere potuit, quid impedit, quominus credamus Virgilium quoque ex eodem quasi fonte hausisse?

---

[1] Celt. p. 36. frag. 21 Bekker.

[2] Die Deutsche Völuspa. Deutsche Altertumskunde 5: 1. p. 67—70.



